



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa


Et In octo Partes ... distincta ...

De Deo Vno, & Trino

Vindalium, 1646

Cap. III. De personis diuinis in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38742



CAPVT III.

De Personis diuinis in genere.

CONCLUSIO I.

Ratio personæ, eaque realis & positiua ponenda est in Deo. Prior pars est de fide, vt patebit ex infra dicendis de ternario personarum numero; est etiã nota lumine naturali, siue in Deo vna sit tantum persona siue plures, de quo postea: Probat, nam cuiusque competit definitio, competit definitum, atqui definitio personæ Deo competit, ergo & persona. Minor suadet, siquidem persona, ex Boërio, vulgò definitur, rationalis naturæ indiuidua substantia, seu vt aliqui clariùs explicant, substantia intellectualis, completa, singularis, & per se subsistens; hæc autem omnia reperiuntur in Deo vt per se notum est, cum ipse non sit accidens, sed substantia eaque intellectualis, non materialis, cõpleta, nõ incõpleta, vt anima rationalis; singularis, non vniuersalis; denique per se subsistens, nõ in alio, vt humanitas Christi quæ licet sit

Substantia singularis & indiuidua, nō est tamē persona, quia non est per seipsā, sed in Verbo subsistit: cū ergo in his consistat ratio personæ, dicendum est eiusmodi rationem Deo competere.

Vnde communiter à Theologis reprehenditur Laurentius Valla, quōd dixerit, nomen personæ non significare substantiam, sed qualitatem; eō quōd vna & eadem substantia dicitur gerere plures personas, ac proinde in Deo non magis esse personam, quam in brutis. Qua in re grauiter errauit prædictus grammaticus, cum frequenter apud Scriptores sacros, & interdum apud prophanos, persona sumatur pro substantia; licet non rarō qualitatem significet.

Nota, non requiri ad rationem personæ, quod ipsa substantia quæ est personata, non possit verè alteri personæ communicari, sed tantum quod quatenus vna personalitate affecta est, & iam constituitur in ratione personæ, non possit ab altera personalitate vlteriùs completi, & terminari. Licet autem substantia quæ est in Patre, communicetur Filio, non tamen quatenus affecta est paternitate, adeoque, vt sic constituit personam Patris distinctam à persona Filij.

Posterior pars ostenditur, nam in pri-

mis Pater est persona realiter distincta à persona Filij, ergo per aliquid reale, non per essentiam, ergo per ipsam personalitatem, & sic personalitas seu constitutum personæ est quid reale, non mera negatio. Accedit quòd infrà ostendemus, personas diuinas, constitui per relationes, quas esse entia realia patet ex supradictis. Denique ex probabiliori Philosophorum sententia suppositum in creatis non consistit formaliter in negatione, sed est positua quædam entitas, seu modus realis naturæ superadditus. Idem autem est dicendum de persona, quæ nihil aliud est quàm suppositum naturæ intellectuales; Quòd si in creatis suppositalitas, seu personalitas est aliquid reale & posituum, à fortiori idem concedendum est in diuinis.

Nota personam in diuinis à parte rei constitui per relationem, vt infrà dicitur, adeoque nomen personæ significare naturam diuinam affectam relatione, esto audito nomine personæ, nobis explicitè non obiciatur personalitas vt relatiua, sed per modum cuiusdam formæ absolutæ, qua fit vt persona subsistat incommunicabiliter.

CONCLUSIO II. In Deo ponendæ sunt tres personæ.) Est de fide, vt

patet ex Scriptura, Conciliis, & Patribus: sufficiat autem illud notare ex Symbolo Athanasij, alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti; & illud ex Cōc. Later. relatum in cap. firmiter. Pater. Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia. Ratione idem ostenditur, supposita veritate fidei, quæ docet in Deo esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: cum enim inter se distinguantur realiter, non ratione essentia, quæ vnica omnium est, consequens est vt distinguantur ratione subsistentiarum, adeoque sint tria supposita realiter distincta. Rursus cum illa sint supposita naturæ intellectualis, sequitur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres personas realiter distinctas: eò quòd persona nihil aliud est quàm, naturæ intellectualis indiuidua substantia.

CONCLUSIO III. In Deo ponendæ sunt tres subsistentiæ relatiuæ, non autem aliqua absoluta, & communis tribus personis.) Prior pars probatur primò quia Concilia, & Patres in Deo admittunt tres subsistentias, eorum autem verba non possunt intelligi nisi de subsistentiis relatiuis, quia ea tantum in Deo multiplicantur, quæ habent oppositionem relatiuam.

Neque dicas tres subsistentias ibi sumi pro tribus subsistentibus. Nam hoc gratis admisso, sequitur dari tres subsistentias: si enim vna tantum esset, tres personæ dicerentur vnus subsistens: sicut dicuntur vnus Deus, propter vnā Deitatem. Siquidem nomina concreta substantiua non multiplicantur, nisi multiplicata ratione formali quam significant.

Secundò, cum persona & suppositum in Deo idem sint ex supradictis, tot in eoponendæ sunt subsistentiæ quot personalitates: at hæ tres sunt, eæque relatiuæ, ergo & illæ. Confirmatur, nam Verbum per subsistentiam suam est vnitum humanitati, ea autem subsistentia non est absoluta, quia alioqui humanitas esset etiam vnita Patri, & Spiritui sancto, ergo est relatiua: cumque non sit potior ratio, cur talis subsistentia habeat locum in vna Trinitatis persona, quam in aliis, sequitur earum cuilibet assignandam esse suam subsistentiam relatiuam; atque ita in Deo esse tres subsistentias relatiuas.

Nota Augustinum quando lib. 7. de Trinitate cap. 4. ait Deum ad se subsistere, agere de subsistentia, vt est modus per se existendi, independenter à subiecto sustentante; vt vel ex eo patet, quia colligit Deum non fore substantiam, si
ad

DE TRINITATE. CAP. III. 265

ad se non subsisteret : Hieronymum vero epist. 5. velle, vt taceantur tres hypostases, in sensu Arianorum, id est, tres essentia; nunc autem vsus inualuit, vt hypostasis pro subsistentia accipiatur, sicque in Deo poni debent tres hypostases.

Posterior pars suadetur, tum quia in Conciliis & Patribus subsistentia sumi solet pro hypostasi, & hæc pro persona; atqui in Deo sunt tantum tres hypostases relatiuæ & tres personæ, neque cum illis admitti potest quædam hypostasis, aut persona, absoluta, & communis tribus personis; ergo neque etiam subsistentia absoluta, & communis. Tum quia apud Methaphysicos subsistentia sumitur pro aliquo modo substantiali, quo res habet formaliter, vt per se sit incommunicabiliter; at diuinæ naturæ vt præcisæ à subsistentiis relatiuis, non potest competere modus ille existendi incommunicabiliter; quia quidquid in ea sic spectata reperitur, est absolutum, & commune tribus personis tum denique quia Deus sufficienter subsistit per tres subsistentias relatiuas, quare alia est superflua.

Nota, quod etsi Deus præcisus relationibus sit substantia, adeoque ens per se existens, id est, nõ in alio in hæsiuè, nõ tamen est per se subsistens, ob rationes de Deo.

M

adductas. Vnde negandum, subsistere absolute esse modum subsistendi perfectissimum respectu Dei; imò cum natura diuina postulet communicari tribus personis, de perfectione illius est, ut subsistat tantum per tres subsistentias relativas, & quancumque subsistentiam absolutam excludat.

„ Dices 1. si natura diuina non subsistit, nisi per relationem: dici potest eam, id habere commune cum natura creata, ut non sit completa, seclusa personalitate. Verum etsi hoc aliquo sensu admitatur, illud semper discrimen erit inter naturas prædictas, quod diuina, cum non distinguatur à personalitate, habet complementum suum à seipsa: creata verò illud non habet, nisi ab extrinseco; quatenus à personalitate sua distinguitur.

„ Dices 2. Pater communicat Filio substantiam completam, quia aliàs Filius non esset completè Deus: at non communicat illi Paternitatem, ergo debet illi cōmunicare subsistentiam absolutā. Sequela patet, quia natura diuina non est completa sine subsistentia aliqua, siue relativa, siue absoluta. Respondeo distinguendum esse inter tres istas propositiones. 1. Pater communicat Filio substantiam completam, ut sic. 2. Pater com-

communicat Filio substantiam incompletam.
 3. Pater communicat Filio substantiam, quæ completa est. Et quidem prima est falsa, quia significat, Patrem communicare Filio paternitatem. Secunda etiam, quia significat substantiam quæ communicatur, carere personalitate. At tertia vera est, quia substantia communicata, habet à parte rei suum complementum, cum à paternitate non distinguatur: Unde, ut liquet non sequitur, filium non esse completè Deum: accipit enim naturam, quæ non minùs est paternitas, quàm filiatio.

CONCLUSIO IV. In Deo est unica existentia absoluta, & tres relativiæ.) Prior pars probatur, quia Deitas, ut concipitur prior relationibus, est essentialiter ens à se, & absolutè necessariū, ac proinde actu existens: ut sic autem non existit per existentias relativas, si quæ sunt, quia hæ sequuntur relationes ipsas: ergo existit per existentiam communem & absolutam.

Posterior pars ostenditur primò, quia tot sunt in Deo existentia, quot entitates actu, existere enim nihil aliud est quam esse ens actu. At Paternitas, Filiatio, & spiratio passiva sunt tres entitates actus; eæque realiter distinctæ: ergo sunt etiã

tres existentia, non quidem absoluta, sed
relatiua.

Secundò, in deo sunt verae, & reales
duarum personarum productiones, quod
autem producitur accipit esse actuale, seu
existentiam, ita vt entitas actu existens
sit terminus productus, quare cum exi-
stentia communis non producat, sicut
neque essentia, sequitur productione ten-
dere ad dandam personae productae exi-
stentiam relatiuam, ratione à communi
distinctam: alias nulla ibi concipi posset
vera, & realis productio.

Nota 1. non esse absurdum ponere in
Deo tres aeternitates relatiuas: Athana-
sium verò cum ait in Symbolo, non tres
aeterni; sed vnus aeternus, agere de tribus
personis, vt sunt vnus Deus; & conse-
quenter de immensitate aeternitate, aliif-
que attributis communibus, quae vnita-
tem diuinæ essentiae consequuntur.

Nota 2. existentiam absolutam esse in
deo sufficientissimam, vt per illam for-
maliter existat quicquid in personis di-
uinis est absolutum, non tamen quod in
iis est relatiuum: sed ad hoc requiri exi-
stentias relatiuas, vt inter constituens &
constitutum sit proportio.

Nota 3. quòd si ex hypothese impossi-
bili, in Deo esset vna tantum persona, ca

DE TRINITATE. CAP. III. 269

esset totaliter absoluta; adeoque posset completè existere, per existentiam absolutam. Nunc autem personæ diuinæ sunt relatiuæ; quare requirunt speciales existentias relatiuas, præter communem, qua existunt ut sunt vnus Deus.

CONCLUSIO V. Ponendæ sunt in Deo quædam proprietates, quibus personæ constituentur, & ab inuicem distinguantur, quæque sint relatiuæ, non absolutæ.) Prima pars est certa, & communis contra Præpositiuū & Ariminensem, qui alias temerè docuerunt, personas diuinas se totis immediatè constitui, & distingui. Probari autem potest 1. ex Conciliis, & Patribus in Trinitate unitatem agnoscentibus secundum essentiam, & discretionem secundum proprietates personales, quibus consonat illud ab Ecclesia in præfat. Missæ de Trinit. decantatum. In personis proprietates, in essentia unitas, & in maiestate adoretur æqualitas.

Probatur 2. ratione, nam ex fide tres personæ sunt vnus Deus, quare sicut assignatur aliquid in quo conueniunt, nempe essentia, ita cum non obstante illa unitate, personæ sint plures, & realiter distinctæ, sequitur in qualibet persona præter essentiam communem, admittendam

esse specialem aliquam formalitatem, per quam intrinsecè constituitur in ratione talis personæ, & distinguatur ab alia: ea autem formalitas congruenter proprietas vocari solet, vt distinguatur ab aliis perfectionibus diuinis, quæ aut tribus, aut omnibus personis conueniunt.

Secunda pars est adeò certa, vt oppositum vix errore vacet. Nam de fide est personas in Deo multiplicari, & facere numerum: ergo debet etiam multiplicari principium constitutiuum, & distinctiuum personarum; at non multiplicantur proprietates absolutæ, cum hæ sint communes omnibus personis, sed tantum relatiuæ; ergo dicendum est personas diuinas per proprietates relatiuas constitui, & distingui. Confirmatur, nam vna persona, vt sic, non potest constitui, per id quod competit alteri, quare cum absoluta æqualiter omnibus personis competant, sequitur constitutionem personæ diuinæ à proprietate relatiua petendam esse.

„ Dices 1. vna persona diuina per id constituitur, & distinguitur ab alia, per quod illius relationem terminat: at non terminat alterius relationem, secundum esse relatiuum, sed secundum absolutum.

ut colligitur ex Logica, ergo, &c Respondeo negando minorem, quia cum relatio diuina sit substantia perfectissima, & per se subsistens, ea non tantum est ratio referendi aut terminandi, sed etiam est id quod refertur ad aliud, quodque oppositam relationem terminat; esto oppositum cōtingat in relatione accidentali.

„ Dices 2. si personæ constituerentur per aliquid relatiuum, paternitas constitueret primam personam: at hoc repugnat, quia persona supponitur constituta, antequam generet, adeoque antequam sit pater. Ut huic argumento fiat satis, uideo eandem formam relatiuam, cum sit substantia infinite perfecta, propter suam eminentiam, constituere Patrem in ratione subsistentis, & personæ; dare illi potentiam generandi, & actualem generationem; eumque referre ad filium genitum.

Respondeo igitur primam personam constitui per paternitatem primo modo spectatam, seu quatenus habet rationem substantiæ: obiectionem autem procedere de paternitate ultimo modo spectata, seu ut est merus respectus Patris, ad Filium iam productum; qua ratione nimis clarum est, Patrem non posse, in ratione personæ, per paternitatem con-

„ Instabis, ergo Pater constituitur per aliquid absolutum, non per relatiuum. Non sequitur, quia cum Pater, antequam concipiatur generare actu sit, intrinsecè determinatus ad producendum Filium, refertur ad illum, vt in posteriori signo rationis ex necessitate producendum. Hoc autem sufficit, vt constituatur in esse personæ, per aliquid relatiuum.

„ Contrà, in eo priori signo rationis Filius non existit, ergo non refertur ad illum realiter: adeoque constituitur per aliquid absolutum. At neque id sequitur, quia vt relatio sit realis, sufficit quòd illius terminus eadem duratione reali existat, id est, tunc quando respicitur à suo correlatiuo: qua ratione Filius in diuinis, semper coexistit Patri, etsi ab eo procedat.

CONCLUSIO VI. Non omnes relationes diuinæ constituunt personas.) Ratio est, quia cum spiratio actiua sit cõmunis duabus personis, non potest vnã personam constituere. Vnde sequitur strictè loquendo tres tantum in Deo esse proprietates personales, paternitatem qua Pater, filiationem qua Filius, spirationem passiuam qua Spiritus sanctus constituitur.

Nota 1. quòd etsi spiratio actiua pro-

prie non constituat vllam personam, spectat tamen ad constitutionem intrinsicam Patris, & Filij, quatenus Pater non censetur adæquatè constitutus, nisi vt concipitur non modo intellectu, sed etiã voluntate fœcunda præditus, adeoque determinatus intrinsicè ad productionem Verbi, & Spiritus sancti. Filius etiam nõ est perfectè, & adæquatè Filius, habens eandem naturam Patris, quin etiam cõcipiatur habere intellectum, & voluntatem fœcundam Patris, ac proinde vt actu primo spirator, non secus ac Pater: Vnde talis ratio non aduenit Patri & Filio vt perfectè constitutis, sed potiùs pertinet ad eorum constitutionem adæquatè spectatam. Si tamen quæstio sit de ipsa actuali spiratione; ea, vt sic, neque vllam personam constituit, neque spectat ad earum constitutionem, sed veluti aduenit personis completè constitutis, vt ex dictis colligi potest.

Nota 2. personas non constitui formaliter per origines, seu per relationes spectatas per modum viæ & in fieri, quia scilicet personæ diuinæ sunt res per se subsistentes, & veluti in factio esse; quare fieri nequit vt constituantur per relationem spectatam per modum viæ, & in fieri, sed per modum formæ permanentis.

& in facto esse; quale enim est constitutum tale, & constituens esse debet.

Confirmatur, nam constituens non aliter aliud constituit, quàm seipsum illi exhibendo, quare non potest illud constituere, nisi eo modo quo est: si ergo personæ diuinæ per origines constituerentur, cum hæ se habeant per modum viæ sequeretur personas diuinas eodem modo se habere: hoc autem cum falsum sit, dicendum est personas diuinas non constitui per origines, vt sic, sed per relationes veluti in facto esse spectatas.

Dices, quando res aliqua duas habet formalitates, quarum altera constituitur, & distinguitur, constitutio debet fieri per priorem, eo quòd nihil prius alicui rei competit, quàm id per quod constituitur; atqui in diuinis prior est origo, seu relatio in fieri, quàm in facto esse, ergo, &c. Respondeo maiorem veram esse de priori formalitate; quæ habet conditiones ad constitutionem necessarias qualis hic non reperitur; siquidem persona concipitur vt ens subsistens, & in facto esse, quod habere nequit per originem, vt patet ex dictis.